

DE APOGRAPHO QUODAM VALENTINO CODICIS  
VATICANI GRAECI N.<sup>o</sup> 2302

Cum Valentiae in municipali bibliotheca codicem versarem manu scriptum n.<sup>o</sup> 6364 olim in scriniis Iosephi E. Serrano Morales servatum, in quo opera quaedam Emmanuelis Martini Alonensis decani (1663-1738) exstant, in paginis 41-69 eiusdem voluminis sanctorum martyrum Caesarii et Iuliani Vitam Graece conscriptam ipsiusque Martini manu exaratam repperi, cuius nulla mentio fit neque in catalogo operum Martini a Maiansio<sup>1</sup> confecto neque in volumine epistolarum nuper edito<sup>2</sup>, quarum inter utrumque frequentissimum commercium fuit. Quin etiam L. Ontalvilla, qui hunc codicem vergente saeculo decimo nono evolverat, de supra dicto apographo omnino tacet nec non de versione Latina, quae continuo opera e Graeco descripta (pp. 71-84) sequitur<sup>3</sup>. Cum aut neglegentia aut Graeci sermonis imperitia labor Martini adhuc tenebris obrutus iaceat, paucis decrevi agere de viri clarissimi vigiliis frustra peractis, ut aliqua demum illius exemplaris in lucem notitia proderet.

---

<sup>1</sup> Vid. *Emmanuelis Martini Ecclesiae Alonensis Decani vita, scriptore Gregorio Majansio Generoso, et Antecessore Valentino, Hispaniarum Regi à Biblioteca. Mantuae Carpetanorum. Apud Joannem Stunicam, anno MDCCXXXV, §§ 168-195; cf. etiam, Emmanuelis Martini, Ecclesiae Alonensis Decani Epistolae libri duodecim. Accedunt Auctoris nondum defuncti vita, a Gregorio Majansio conscripta: nec non praefatio Petri Wesselingii. Tomus primus. Amstelaedami, apud J. Weststenium et G. Smith, MDCCXXXVIII, pp. 89-94.*

<sup>2</sup> Cf. *Gregorio Mayans y Siscar, Epistolario III, Mayans y Martí. Transcripción, notas y estudio preliminar de Antonio Mestre*, Valencia, 1973.

<sup>3</sup> Cf. *El deán Martí. Apuntes bio-bibliográficos por L. de Ontalvilla, precedidos de una carta prólogo del Excmo. Sr. D. Manuel Danvila y Collado*, Valencia, Imprenta de F. Vives Mora, 1899, p. 139, n. 1.

Est autem chartaceum, exeunte decimo septimo saeculo (annis 1686-1696 dum Romae degeret Martinus) scriptum, codicis Vaticani Graeci n.<sup>o</sup> 2302<sup>4</sup> apographon. Diceris in re palaeographica tironem se exercere voluisse Martinum, cum non solum servet archetypi menda, sed etiam scribendi ductus, compendia litterarumque ligaturas interdum repraesentet atque imitetur. Quam ob rem non parvo apographon nostrum adiumento codicis Vaticani lectori futurum esse censeo, quippe qui paginarum interdum faeculenta specie oculorum aciem fatiget iniuriaque temporum nonnullis locis misserrime hiet. Non omnia tamen, sed quae maximi putavit momenti Martinus descripsit, in primis cuncta ad passionem martyrum pertinentia. Folia codicis Vaticani rescripti singula in quadruplum plicata sunt saeculo XIII, litteris uncialibus iam obsoletis nova scriptura superposita; non mirum igitur, si unaquaeque Valentini apographi pagina quaternas fere Vaticani complectatur. Quae vero uterque codex contineat et quae ratio inter utrumque intercedat, subiecta tabula docet.

## COD. VAT. 2302

ff. 2v-15v

ff. 16r-48v omittuntur

ff. 49r-112v

## COD. VAL. BMV, f. S. M. 6364

- a) *Apolyticia SS. Caesarii et Iuliani* (pp. 41-44). *Inc.:* Μηνὶ Νοεμβρίῳ α'. Τοῦ ἀγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Καισαρίου καὶ Ἰουλιανοῦ. Ἀπολυτίκια. *Des.:* δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς ειρήνη ἐν ἀνθρώποις. *In margine adnotavit Martinus:* Hic multa omittuntur quae nullius pretii, et ad Caesarii vitam transeo.
- b) *Passio* (pp. 45-60). *Ad oram scripsit Martinus:* Initium desideratur. *Inc.:* ὅς ἐφ' ἐκάστῳ ἐνιαυτῷ κατὰ τὴν ἡμέραν καλανδῶν Ἱανουαρίων. *Des.:* εἰς δόξαν μὲν καὶ ἔπαινον Χριστοῦ... καὶ τιμὴν δὲ τῶν μαρτύρων αὐτοῦ, καισαρίου καὶ τῶν συνάθλων αὐτοῦ.

---

<sup>4</sup> De hoc codice, vide F. Halbin, *Bibliotheca Hagiographica Graeca*, Bruxellis, 1957, t. I, p. 100.

ff. 113r-115r epilogus

*Sequitur epilogus* (pp. 60-61). *Inc.:*  
 Πλὴν οὐκ οἰδα ἐγώ εἰ καὶ νῦν...  
 τελέσκονται. *Des.:* ὡς βασιλικοῦ  
 τελοῦνταν ἥδη καὶ γένους.

pp. 115-138

c) *Miracula et translatio Romam*  
 (pp. 61-65). *Inc.:* ή δὲ τῶν Λατί-  
 νων διήγησις περὶ τοῦ ῥηθῆσε-  
 σθαι μέλλοντος θαύματος. *Des.:*  
 εἰς ἔπαινον δὲ καὶ καύχημα, σκέ-  
 πην ἄμα τε καὶ ἀντληψιν τῆς  
 ἐκκλησίας Χριστοῦ τοῦ θεοῦ.

pp. 138-159

d) *Laudatio Christi Sanctorumque*  
*Martyrum* (pp. 65-69). *Inc.:* Τί γ'  
 οὖν λοιπὸν ἡμεῖς οἱ παντάποροι  
 καὶ παμπήνετες εἴποιμεν; *Des.:*  
 οὖν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ καὶ τῷ παν-  
 αγίῳ καὶ ζωαρχικῷ Θεῷ πνεύ-  
 ματι νῦν καὶ δεῖ καὶ εἰς τοὺς  
 αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Infra adno-*  
*tavit Martinus:* Sequitur deinde  
 eorundem quatuor Martyrum cer-  
 tamen alio charactere, et ni fallor  
 ab alio Auctore scriptum; quod  
 quia iniuria temporum lacerum  
 est et corrosum, et penitus oculis  
 invisum, transcribere omisimus, li-  
 cet cum maximo nostro dolore,  
 qui eas antiquitatis reliquias quam  
 maxima veneratione, ut par est,  
 prosequimur.

In initio apographi eadem compendia adhibet Martinus ac codex Vaticanus, cum fortasse in eorum vi ac sensu haeret; cetera vero, praesertim quae *nomina sacra* nuncupantur, plerumque recte interpretatus est, ita intentus in rem quam suscepit peragendam, ut etiam quaedam Latina verba (ut puta *nota*) ad oram archetypi manu exarata recentiori, nec non ex parte Graecanicas hymnorum notas musicas, summa cum diligentia descripsicerit. Sed de hoc satis.

Transeo ad menda, quorum pauca specimina exhibere hic sufficiat. Quapropter nihil antiquius duco quam ut praestantissimam codicis Vaticani partem, passionem scilicet martyrum, cum apo-

grapho Valentino conferam. Quatuor genera sunt mendorum, quorum unum oritur ex oscitantia legentis vel neglegentia scribentis, alterum ex verbis omissis (ea praesertim de causa quae nominatur *homoeoteleuton*); tertium gignit scholaris verborum prolatione, prout sibi ipse Graecum sermonem dictaverit scriba; quartum originem duxit a verborum concinnitate perperam intellecta.

## a) Cod. Vat. 2302

- p. 49 κενοῦ εχ καινοῦ corr.
- p. 76 δαιμόνων
- p. 78 οὐκ  
ποίον  
πολιχν(ης)
- p. 79 πτῶμα
- p. 81 θυσίας
- p. 86 πλήθουσι
- p. 95 καταδαμάσσας
- p. 98 Εύσέβιός τις
- p. 109 δεξαμένων

## Cod. Val. BMV, f. S. M. 6364

- p. 45 καινοῦ
- p. 51 δαιμονίων
- p. 52 συκ'
- ποία  
πολέχν(ης)
- σῶμα  
θυσίοις
- p. 54 πλήθουνσι
- p. 56 καταδαμήσας
- p. 57 Εύσέβιός τι
- p. 59 δοξαμένων

## b) Cod. Vat. 2302

- p. 107 τοὺς κατηγόρους τῆς πλά-  
νης καὶ συνηγόρους τῆς  
Θείας
- p. 114 ἔωράκαμεν

## Cod. Val. BMV, f. S. M. 6364

- p. 59 τοὺς κατηγόρους τῆς Θείας
- p. 61 ἔώρα-μεν

## c) Cod. Vat. 2302

- p. 56 δυνήσεσθε
- p. 57 προσκαρτερῶν
- p. 84 λυτρωθέντας
- p. 92 Ὡ δὲ γυνὴ
- p. 103 καινήν
- p. 112 καθάρσεις  
θεραπεῖαι
- p. 114 καθά

## Cod. Val. BMV, f. S. M. 6364

- p. 46 δυνήσεσθαι  
πρὸς καρτερῶν
- p. 53 λιτρωθέντας
- p. 55 Οἱ δὲ γυνὴ
- p. 58 κενήν
- p. 60 καθάρσης  
τεραπεῖαι
- p. 61 κατά

## d) Cod. Vat. 2302

- p. 71 οὖπω γάρ ἐπέστη  
καιρὸς συνιέναι
- p. 74 ἐν τῷ πλησιάσαι

## Cod. Val. BMV, f. S. M. 6364

- p. 50 οὖπω γάρ ἐπέστηκαι  
πρὸς συνιέναι  
ἐν τῷ τλησιάσαι

p. 78 οὐκ ἀπόλλεις (pro ἀπολεῖς) ταχύ;	p. 52 συκ' ἀπόλλης ταχύ;
p. 114 εἰς γυναικά Οὐαλεντινιανδς δ μέγας ἐσαυτῷ ἐπηγάγετο	p. 61 εἰς γυναικά Οὐαλεντινια- νὸς δμείας (forte δμεία σεσωτῷ in mg.) ἐσαυτῷ ἐπη- γάγετο
p. 115 ἀρχετ(αι)	ἀρχετο

Quae sit causa, cur in hoc tam insulso opere describendo Martinus operam perdiderit, quo magis id mecum ipse voluto, eo minus intelligo, nisi existimes, quod haud absonum videtur, illud Martinum ad hoc opus suscipiendum illexisse, quod codex Vaticanus rescriptus stimulaverit iam suopte curiosissimum animum ad divinandum, quaenam in eo prius exarata fuissent.

Apographo Valentino iam discusso, mirum nobis initit scrupulum adnotatiuncula ad calcem codicis Vaticanani, quam in hunc modum scripsit Ios. Cozya M. Dorf:

## 9676

Codex graecus Vat.

qui fuit Angeli Card. Mai et olim Monasterii de Crypta ferrata, ibidem a Joanne Rossanensi monacho circa an. 1230 descriptus, complectitur graecam ἀκολουθίαν (Officium sacrum) et sermones duo in S. Caesarium, Diac. Mart. Sermonem prolixorem et nonnulla cantica sacra idem Jo. Rossanensis concinnavit. Alia vero vetustiora sunt; et hymnus liturgicus odarum VIII auctorem habet B. Bartolomaeum Abbatem Cryptae ferratae, qui floruit saeculo XI.

Die XXVIII mensis Maii an. 1871  
Jos. Cozya M. Dorf

Cum fieri non possit quin is codex unus idemque sit atque ille, quem Romae exeunte XVII saeculo contulit Martinus, et nostrum praeterea constet assidua opera bibliothecas Vaticanam et Barberinam visitasse, ita ut in alterutra codicem eum perlegisse ac descrip-sisse necessarium videatur, luce clarius patet volumen illud Graecum numquam detractum fuisse a Vaticanis scriniis, saltem ex exeunte decimo septimo saeculo usque ad praesens, ibique eum Cardinalem Angelum Mai evolvisse. Errori ansam dedit, ut mea fert opinio, alia adnotatiuncula, qua in eodem codice Angelus Mai ita lectorem monet «S. Athanasii In vis. Glossa in Opelinas eadem quae edita

fuit a Card. Antonellio»; quibus verbis subscrispsit nescio quis eorum auctorem patefaciens: «Haec adnotavit Ang. Card. Mai de vetustis scripturis quae apparent in his foliis in palimpsesto Codicis olim Cryptae ferratae». Haec erant quae de infelice Martini apographo dicenda videbantur.

LVDOVICVS AEGIDIVS